

**De variis uranorrhaphes methodis aphorismi / auctor L. Ed. Doniges.**

**Contributors**

Doniges, Ludwig Eduard.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Formis Brüschkianis, 1823.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/v75gv3uc>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>


DE

VARIIS URANORRHAPHES  
METHODIS APHORISMI.

---

AUCTORE

DR. L. ED. DONIGES.



ACCEDIT TABULA AENEA.

---

BEROLINI MDCCCXXIII.  
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

Digitized by the Internet Archive  
in 2015

AVUNCULO DILECTISSIMO

SUMMA SIBI SEMPER RELIGIONE COLENDO

FRID. HENRICO BORCHARD

AUGUSTISSIMI BORUSSORUM REGIS COHORTIS TORMENTA-  
RIAE PRAEFECTO FORTISSIMO, CRUCIS FERREAE EQUITI  
ETC.

**HASCE PRIMITIAS ACADEMICAS**

**ASSIDUI ET PERFECTIORA**

**SEMPER AFFECTANTIS STUDII**

**PIGNUS ESSE VULT**

**AUCTOR.**

---

## P r a e m o n e n d a .

---

**D**iu multumque, Lector Benevole, de commentatione, in qua fusius et accuratius exponerem, quam optima et facillima ratione velum pendulum primae iam conformationis vitio fissum in integrum restitui potuerit, componenda cogitavi, nec eam, quae nunc mihi dissertationis exarandae oblata est, occasionem consilio illi, quod ceperam, exsequendo vel maxime, ut videtur, opportunam praetermissem, nisi multa eaque haud levia sententiam mutare suasissent argumenta.

Ut enim de eo taceam, quod pauca illa dissertationum inauguralium exempla eodem fere, quo in lucem emergunt, die sempiternae, quam pleraequae harum compilationum etiam iure meritoque subeunt, tradi soleant nocti, et a paucis-

simis tantum legantur, iam ipsa ipsius, quod tractandum mihi sumseram, argumenti gravitas, maiorque, quam qui exiguis dissertatiunculae includi potuerit finibus et quem inter exarandum demum melius et accuratius perspexi, rei ambitus descriptionem plenam omnibusque partibus ac numeris absolvendam in aliud tempus differendam esse monuerunt.

Aphorismos igitur tantum nunc Tibi exhibeo, L. B. de singula quadam operationis illius, cuius prima eaque felici exercitatione nostra demum gavisa est aetas, agentes parte, in qua tamen describenda — ne ea, quae acutissime, ingeniosissime et accuratissime iam alio loco 1) exposita sunt, rursus attingerem atque recoquerem — omnia, quae mali originem, variasque eius formas cum aliis morborum generibus comparandas specant, omnia denique, quae ad anatomicam organorum huc pertinentium descriptionem referenda sunt, de industria silentio praetermisi.

Hisce igitur, quae nunc tibi offero, qualibuscunque utere, benignam et facilem huic brevi ac imperfectae operationis gravissimae atque maxime salutaris delineationi praebens aurem, donec inde-

---

1) Conf. Journal d. Chirurgie und Augenheilkunde v. C. Gräfe u. Ph. v. Walther Vol. I. fasc. 1. p. 1-54.

fessum studium in perquirenda morbi, de quo  
egi, natura positum, pluraque, quibus ad hunc  
ipsum diem usque caremus, pericula largiorem  
nobis suppeditaverint disquisitionis instituendae  
materiem. Vale.

---

---

## De appellatione operationi imponenda.

I. Notissimus est isque medicorum celeberrimorum usu et auctoritate comprobatus atque sancitus quasi mos, ut, quotiescunque nova quaedam et antea inaudita res, sive indolem aliquam peculiarem cuiusdam corporis humani partis, sive operationem singulam recens detectam, sive denique integram quandam disciplinam medicam innuens, peculiari nomine fuerit insignienda, sermo graecus in auxilium vocetur, eiusmodi rebus exprimendis propter ingentem, qua gaudet, vocabulorum compositorum vel, analogia duce, facile componendorum copiam aptissimus et hoc quoque nomine sermone latino multo praestantior.

Cum vero in hisce vocabulis graecis eligendis vel formandis gravissimi haud raro a medicis commissi sint et quotidie committantur errores, non abs re esse arbitror neque supervacaneum, pauca quaedam de vocabulo, quo suturam palati mollis insignivi praemittere et cur hanc potissimum appellationem—reiectis aliis, quae proposita sunt, nominibus—elegerim, exponere.

Apud medicos graecos haec fere occurrunt palati nomina: a. ὁ ἔξανός et b. ὁ ἔξανίσκος ex tropo in omnibus fere linguis obvio, non solum enim, in lingua batava, ut Riemerus observavit, „dat Hemeltke“ sed apud nos quoque vulgo dicitur: „der Himmel im Munde,“ et vice versa iam Ennius poëta 1) de coeli palato locutus est. c. ἡ ὑπὴν ἔξανόσσα apud Nicandrum Colophon., qui Alexandriae medicinam exercabat circa a. 160 ante Chr. nat. (ὑπὴν proprie significat labium superius, cuius continuatio quasi palatum est).

Ea igitur, quae hic indigitanda nobis est, operatio vel ἔξανοῦ ῥάφῃ vel ἔξανισκοῦ ῥάφῃ erit appellanda; — ῥάφῃ enim (a ῥάπτειν suere derivatum) vocabulo latino: „sutura“ apprime respondet. Sed alias quoque nunc sub examen vocemus appellationes, quibus Viri quidam docti idem exprimere voluere. Roux, francogallus, operationem nostram Staphyloraphiam nuncupavit. Hanc vero appellationem nullo modo probare possum, primum quidem, quod forma ῥάφια ne unius quidem loci auctoritate munita sit, et deinde quod ἡ σαφυλὴ inflammata tantum uvulam designet, quod vel ex ipsa vocis etymologia et ex significatione vocabulorum σαφυλητομία et σαφυλοτομέω apud Artemidorum III, 46. satis superque patet et Aretaei, Cappadocis, auctoritate

---

1) Teste Cicerone de nat. Deor. II, 18.: „Sed dum palato, quid sit optimum, iudicat (Epicurus) coeli palatum, ut ait Ennius, non suspexit.“

constat. Eandem vim habet vox  $\delta$  et  $\eta$   $\kappa\acute{\iota}\omega\nu$ ,  $\omega\nu\omega\varsigma$ , et hanc ob rem Ritteri clar. 1) sententia, qui vocabulum: kionoraphia commendat, admitti nequit, in altera autem, quam eidem debemus, compositione: uraniscoraphia syllabam ultimam graecam non esse iam monui. Caeterum uterque, Roux et Ritter, in vocabulis suis componendis contra regulam quandam fundamentalem grammaticae graecae peccarunt, secundum quam littera  $\epsilon$  in initio vocis posita necessario duplicanda est quotiescunque in flexione vel compositione vocalis simplex eam praecedit 2), sic e. g. a  $\epsilon\acute{\alpha}\pi\tau\omega$  formatur  $\epsilon\pi\iota\epsilon\acute{\alpha}\pi\tau\omega$  nec vero  $\epsilon\pi\iota\epsilon\acute{\alpha}\pi\tau\omega$ , a  $\epsilon\acute{\iota}\omega$ - $\alpha\iota\mu\acute{o}\rho\acute{\rho}\acute{o}\omega\varsigma$ , a  $\epsilon\acute{\eta}\gamma\gamma\upsilon\mu\iota$  —  $\delta\iota\alpha\epsilon\acute{\eta}\gamma\gamma\upsilon\mu\iota$  etc. nequaquam igitur scribendum esset staphyloraphia sed staphylorrhaphia — non kionoraphia sed kionorrhaphia etc.

Uvula sana autem apud Graecos audit  $\eta$   $\kappa\iota\omega\nu\acute{\iota}\varsigma$ ,  $\acute{\iota}\delta\omega\varsigma$  vel  $\tau\acute{o}$   $\kappa\iota\acute{o}\nu\iota\omega\nu$  vel  $\acute{o}$   $\kappa\iota\omega\nu\acute{\iota}\sigma\chi\omega\varsigma$  vel denique  $\acute{o}$   $\gamma\alpha\rho\gamma\alpha\rho\epsilon\acute{\omega}\nu$ ,  $\acute{\omega}\nu\omega\varsigma$ , nam hoc, quod postremo loco attuli vocabulum, apud Hippocratem pag. 517. hoc sensu occurrit, et seriori demum aetate gulam significat.

Dissimulare tamen nolo medicos graecos, qui primo post Chr. nat. saeculo scripsere e. g. Rufum Ephesium, Anatom. et Aretaeum, quem iam supra laudavi, interdum promiscue hisce vocabulis uti, ita ut  $\kappa\acute{\iota}\omega\nu$  et  $\kappa\iota\omega\nu\acute{\iota}\varsigma$  unam eandemque obtineant significationem. Sed nihilominus stat sententia mea voca-

---

1) Journ. f. Chir. etc. v. Gräfe. vol. IV. fasc. 2. p. 378.

2) Conf. Buttmanni grammatica graeca. §. 20 et §. 105.

bulum ὑπερβαλον̄ reliquis omnibus esse praeferendum, nam Hippocratis auctoritatem seniorum scriptorum eorumque negligentiorum placitis praestantiorum esse, quis est, qui dubitare audeat?

Ex quibus omnibus abunde patet illud tantum, quod ego elegi, vocabulum ὑπερβαλον̄ vere graecum esse, et litteris latinis si utimur scribendum: uranorrhaphē.

2. Priusquam autem ad operationis ipsius descriptionem aggrediar, brevem huiusce primae formationis vitii, quod in infante cum omnibus phaenomenis per undecim annos observandi oblata mihi est occasio, historiam paucis enarrare non utique abs re esse visum est.

## H i s t o r i a m o r b i.

3. Infans, cum nasceretur, fuit gracilis ac tenuis staturae, iusta tamen formatione eaque ad functiones qualescunque necessarias agendas idonea gaudens. Licet autem sufficiens adesset lac atque optimae papillae mamillares, succum tamen inde evocare non valebat, quia spatium aëre vacuum labiorum et linguae actione fieri non potuit, cum illud ob fissum palatum cum aëre externo semper communicaret, ita ut nihil aliud, nisi ut lacte et aliis nutrimentis aleretur, restaret. Facile et sine impedimentis hoc factum est, tantummodo, si paulo maior fluidi copia adduceretur, aliquantulum ex uno alterove nare profluebat, quod in infantibus non raro occurrit.

4. Sub primi vitae anni finem foramen palati tantummodo ovale fortuito animadverti, et nisi memoria nunc me plane fallit, uvulam imam nondum fissam, uti praeterlapsis quibusdam annis, postquam structuram palati melius cognoveram, accuratiori scrutatione me vidisse arbitror. Interea corporis animique vigore gavisus est invaluitque infans, serius autem, ut fieri solet, verba dictu facilia pronuntiare coepit, donec diligenti exercitatione hanc loquendi difficultatem aliquo modo superaverit. Singulos sonos ac verba litteris palatinis composita vehementi vocis contentione et obscure tantum elocutus est; — deinde in loquendo palati fissurae impressa linguae radice occludendae et ita verbis distinctius pronuntiandis operam navasse videbatur; muscoli enim labiorum, linguae, laryngis et colli maiori actione intendebantur.

E litteris palatinis g. k. ch. x. praecipue k elocutu difficile fuit, sonabat ut a; — q contra ut u; — litterae coniunctae kn, quominus maximam partem pronuntiarentur, impediabantur, quod quidem etiam sano palato praeditis occurrit. In litteris mutis, mediis et tenuibus pronuntiandis tantum inter g et k fuit discrimen; si non linguae apicis sed tantum dentium ope proferebatur, quamvis autem vocem maior exspiratio e naribus comitabatur, quam ob rem interdum ingrate sibilabat infans.

5. Idem vitium congenitum postea in duabus puelis adultis, quarum altera quoque lacte materno non erat usa, descripto simile vidi, fissura semper in medio palato a spina nasali posteriori ossis palati oriens ea directione, qua apud infantes multosque adultos

linea eminens animadvertitur, decurrit, velum pendulum uvulamque in duas partes aequales (quomodo ill. Graefe l. l. tab. I. fig. 1. hoc vitium ad naturam egregie depingendum curavit,) dividit, qua de causa ruricolae hoc vitium: „uvulam geminam“ appellant; — nec unquam vero praeter loquelam difficilem aliud detrimentum ex eo ceperunt.

### De veli penduli usu.

6. Ex his satis apparet vitia palati loquelam magis quam linguae et labiorum, quorum deformationes modico pronuntiandi usu facile superantur, impedire, et ad articulatam, gratam sonoramque vocum emissionem sanum atque integrum requiri palatum. — Propter veli penduli penuriam amphibiorum vox est rauca, coaxans, sibilans; — animalia quadrupedia palato quidem mobili, uti in hominibus e duobus cruribus constanti, gaudent, variosque soni modos edere valent, attamen iis omnibus deest uvula, cuius locum musculus palatinus in palato medio indicat; — multae rugae transversales, subdurae, retro spectantes nimiae mobilitatis causa magis cibis deglutiendis, quam voci edendae inserviunt.

In homine vero velum pendulum in omni fere inspiratione atque expiratione plus minusve movetur, maxima parte spiritui exitum vel per os vel per nares assignat; — cibum et potum, dum bolum format, et una cum linguae radice eum ad oesophagum, choanas narium occludens, promovet, deglutiendum iuvat. Ad perficiendas tam varias, a physiologis nondum suf-

ficienter enucleatas actiones, quamquam plures sint, quam solo adspectu forsitan concluderis, velum pendulum hominis permagnum musculis mirifice instructum est, et maximas loquelaes partes agit; modica etiam veli penduli exercitatione officia aliorum organorum loquelaes in se suscipit, quod iam in cantu, qui ore aperto fit, praecipue autem in ventriloquis, qui ore clauso, naribus inspirando velo pendulo labrorum et linguae instar utentes, loquuntur, facile conspicitur.

7. Omnes functiones imperfecte fiunt, si palatum mobile iusto minus est, aut vitia eius organica v. g. substantiae defectus, sublata cohaesio etc. adsunt; imprimis vero loquela, voce e naribus apertis exeunte absona ingrataque redditur, et haec unica fere est molestia, quae inde aegrotis oritur; reliquae enim multo minus percipiuntur.

### Diversa sanationis tentamina.

8. Labium leporinum et faucem lupinam completam atque incompletam aut sola, aut vario modo inter se coniuncta inveniri, labium leporinum saepe sanatum, faucis vero lupinae species diversis modis et remediis absque sanatione tractatas esse, satis superque inter nos constat. Omnes fere medici hoc vitium magis tantum emendare, quam veram palati mobilis fissi reunionem conficere moliti sunt, quia propter impedimenta, quae in sanando hocce vitio non pauca, et me hercle! superatu difficilia sunt, aliaque, quae inevitabile cum eo coniuncta esse credebant, de felici successu desperaverunt, donec ill. Graefe primus viam monstraret.

a. M e t h o d u s G r a e f i a n a.

9. Ill. Graefe, qui — ut hoc tropo utar — in omnium chirurgorum memoria monumentum sibi extruxit aere perennius, qui omnes fere chirurgiae partes multis iisque felicissimo successu gaudentibus inventionibus exornavit, primus hanc medendi rationem accuratissima mali et sanationis descriptione nos docuit; multas agendi partes tam accurate exposuit, et totum operationis modum ita descripsit, ut non primas lineas, sed doctrinam paene exhaustam legere tibi videaris.

Quae cum ita sint, nemo facile me vituperabit vel mihi succensebit, si hanc methodum lectori cuivis notam esse supponens, ea tantummodo, quae uberiori expositione egere mihi visa fuerint, annotavero.

b, M e t h o d u s e x p e r. E b e l.

10. Vix per omnium ora volitabat fama ill. Graefe hancce operationem feliciter perfecisse, cum exper. Ebel infantem, de quo iam supra dixi, conspicatus et statim operationis faciendae cupidus omnia instrumenta necessaria sibi componi curaret 1). Ingeniosae illius

---

1) Hoc aestate anni MDCCCXVI factum est, tribus ante annis, quam Roux, perperam auctor operationis nuncupatus, ambas inflaret buccas. Germanorum enim non est, quaevis vix detecta publici iuris facere, nisi antea sole clarius fuerint exposita ac felici eoque iterato successu comprobata, unde saepe alius,

Graefianae methodi plane inscius his usus est instrumentis: postquam fissurae latera tinctura cantharidum

---

qui magnam de se excitare studet famam, palmam adipiscitur.

Vidi quondam Parthenopoli puerum inopem, toto brachio sinistro carentem. Excisionem ossis humeri in eo confectam esse mox suspicatus sum; ut autem e cicatrice operationis methodum cognoscerem et curationem viderem, enm ad me vocavi. Vestibus remotis obstupui, — humeri enim excisi loco scapulae totius amissionem animadverti, et operationis modum et illum, qui eam perfecerat admiratus eum narrationem de trunco brachii rogavi. Triste, inquit, mihi imponis munus, quis enim mutilus damni causam commemorare velit? referam tamen ordine. Iam fere ante octo annos molitoris famuli officia suscepi, iisque per aliquot tempus functus subito molae crepitu nocte experrectus sum et somno gravis meique impos in rotam pectinatam manu incidi illaque comminuta retracta animi deliquium passus sum. Amputationem antibrachii frustra exercuere, brachioque bis absque salutis sperescisso appropinquante hoste, — fuit enim isto tempore belli contra Francogallos suscepti — sine ullo auxilio in lectulo cubui, mortemque gangraena cum maxima febre progrediente expectavi. Deo vero omnia optime vertente ex evocatorum manu fortissimi Lützowii quendam ad me duxit, cuius viri benevoli memoriam animo pio semper tenebo. Ille vulnus diligentissime perquisivit, fomentationes et alia medicamina per aliquot tempus adhibuit, tunc autem ob nimiam suppurationem et puris infiltrationem ad vitam sustendam totum scapulae os forti incisione solvit, et mox ego in statum inte-

fortioris saepius obducta, omnesque epidermidis partes remotae fuerant, usus est forcipe in apice paene ad angulum rectum ad genu formae instar adunco striis transversis sibi vice versa respondentibus exsulcato, ut fortius acum capiat; illi forcipi, quo ill. Graefe ad extrahendas acus utitur, haud dissimilis est (v. l. l. tab. II. fig. 6). Hoc forcipe apprehendit acum parvam, rectam, semis vel — ad summum — dodrantem pollicis longam, per cuius foramen filum immisum fuit, eaque summa cautione adhibita in os pone velum pendulum introducta, illud a posteriori parte acu ita perforavit, ut lineas duas a fissurae margine inhaereret; quo facto aliud instrumentum, quod commode cum Graefiano Tab. II. fig. 5. depicto compareris, sumsit et prominentem acus apicem fortissime arripuit, eamque forcipe elapsam uno impetu ex ore removit; eodem modo altera acus alteri parti infixae extrahebatur. Extrema fili extra os chirurgico nectebantur nodo, peritaque manu ita constringebantur, ut vulneris latera arcte coniungerentur, tunc nodulo secundo colligabantur et quod restabat, forcice haud procul a nodo resecabatur.

II. Haec operationis methodus re vera praestantissima est, et hancce suturam cuivis, qui quadam exercitatione atque manus facilitate gaudet, etiam

---

grum, qualis scilicet esse potest, reversus sum. Quis vero fuerit, utrum medico-chirurgus illorum militum exper., nec ne, ipsum referentem fugit; certe tamen dignus, qui palam laudaretur.

cito et tuto perficiendam esse, ex dictis sat liquet; acus ex altero in alterum secure transfertur instrumentum, nec ad eam extrahendam artibus ingeniose inventis, quae superveniente tussi aut sternutatione aliisve in ore impedimentis iniucundas facillime afferunt interruptiones, opus est. Sed singulae cuiusdam rei etiam mentio mihi est facienda; vel maxime nempe necessarium est et hanc acum et Gräbianam ante usum laqueo simplici, quali foeminae acu opus facientes utuntur, cum filo iungere; si hic laqueus ad acus foramen admovetur, transitum plane non impedit, verum maximam praebet, utilitatem, ne scilicet acus incidente intercapedine a filo seiuncta vel in fauces vel alio cadat, prohibens.

12. Auctam muci secretionem adeo metuendam <sup>1)</sup> non animadvertimus, atque ore aqua calida aliquoties perluto infans eiusdem diei partem, totamque fere noctem dormivit. Nullae perturbationes ne febricula quidem exortae sunt, atque inflammatione sine exsudatione celeriter evanescente fila die tertio abscindebantur.

### c. Meae methodi descriptio.

13. Communicavi tunc temporis cum exper. Ebel, quae mihi de alia quadam palatum suendi methodo viderentur, et licet tum temporis hanc meam methodum ipsi acceptam reddere non possem, postea tamen ipse eadem usus est. Utor autem acu unciformi, ei

---

<sup>1)</sup> Grafe l. l. §. 25.

paene, quae ad deligandum aneurysma adhibetur, simili (v. tab. fig. I.), nisi quod acutissima est, aliam habet flexionem atque ovale in apice summo foramen. Ad ipsam naturam eam depinxi, et facile videbis eam externa parte exsulcatam, ut filum concipiat, interna parte autem rotundam esse, ut filum ea unco Bromfieldiano facili negotio arripiamus; — ne autem manu altera impediaris, quominus altera filum capere tentes, ansam in angulum 45 graduum reflexi.

De positione aegroti et chirurgi multisque aliis huc spectantibus vide Graefe l. l.

### De agendi ratione.

14. Acum, per cuius foramen filum aequale cera delitum immissum est, in os sat apertum ita inducimus, ut apex linguam spectet, in eadem directione pone velam pendulum eam promovemus, et nunc demum acum ita vertimus, ut apex pone posteriorem palati faciem cuiusvis lateris collocetur. Priusquam acus traducitur sedulo spectandum est, ut acus per locum destinatum transfigatur et ne latam quidem lineam ab eo recedat, quod sufficiente attentione atque animi tranquillitate adhibita facile effici potest. Ea fili pars, quae intrinsecus eminet, supra acus arcum, ad eam commodè arripiendam iaceat, maxime necesse est. His omnibus observatis palatum iusto loco perfodimus, et illud fili extremum, quod interno acus foramine prominet, unco Bromfieldiano captum vel forcipe, vel volsella, vel manu extrahimus, idque stricte intendentes acum reducimus, quae eodem modo ad alterum

palati latus vertenda est, ut iterum filum supra acum emineat. Si ex acus tractu sentiamus locum transfigendum alteri plane respondere, palatum perfodimus, et fili extremum etiam ex interno acus foramine et ore, ut supra iam monui, extrahimus. Facili opera acum nunc filo solutam ex vulnere, posteriori palati parte atque ore reducimus.

Quod attinet ad fili extrema vide Graefe l. l. p. 34.

Eodem fere modo reliquae ligaturae inducuntur, tantummodo, praeter accuratum, quo a margine distent necesse est spatium, respiciendum est, ne etiam a se ipsae iusto plus minusve remotae sint.

15. In hacce operationis methodo maxima cura adhibenda, ut secunda fili extractione hoc etiam ex acus foramine solvatur; — quamvis enim non magni momenti sit, qua acus parte filum primo evellatur, attamen hoc secundo neutiquam sic se habet, — semper interno acus ore attrahendum est, quo certa rectaque via ex acu solvatur. Itaque ne in errorem delabare, filum semper hoc modo solvere suadeo, atque ea de causa internum os laeve, externum vero, ut aptius palatum perrumpat, sulco munitum fieri curavi.

16. Rationes, quibus hanc meam methodum prae aliis commendandam esse arbitror, hae fere sunt: acu semel inducta utrumque latus perfigitur, — quod expeditus ac minus proclive fit, quia non etiam instrumentum, ut acum arcte capiat, observare necesse est; — instrumenta, quibus acus tenetur, in ore non mutamus, ex mutatione enim multa oriuntur incommoda; —

tandem socio, qui nusquam magis, quam in hac operatione nobis obstat, non egemus.

17. De discrimine quoque, quo partim a fissurae margine partim a se ipsae removendae sunt ligaturae, nunc nonnullae mihi succurrunt notitiae. Graefe l. I. §. 20.: „membrana,“ inquit, „tenuis tres lineas Parisienses a margine percutienda est, si vero crassa et torosa fuerit, duarum linearum spatium relinquendum, quod sufficiet, ne ligaturae maturius palatum perscindant.“ Posteriores hanc sententiam lubentissime comprobo, priori autem agendi rationi potissimum haec obstare videntur: si in utroque latere tres lineas a margine transmissum distat filamentum, eo ipso spatium semis pollicis oritur, quod palati tenuis membranosi dislocationem ad latus minime impedit; immo vero iam perdifficile est fila distantia ita adducere, ut verus intimusque gracilium vulneris laterum contactus fiat, neque alterum alteri erit impositum; — et si hoc revera factum fuerit, minima causa v. g. tussis, sternutatio et alia, vulneris latera dissolvit, mucoque obducta prima non coibunt intentione.

18. Quid vero hic faciendum? — operationem hoc in casu dissuadendam esse, arbitror; — sin autem etiam atque etiam postuletur, palatum, inflammatione, quam diu fieri potuerit, protracta fotaque, ut obdurescat, curemus, (de quo vide infra) idque spatio utrinque diverso perfodiamus v. g. summum seu primum tertium (et quintum) filum trium a margine linearum distantia traducuntur, — secundum et quartum contra duarum tantummodo; a se ipsa ad summum lineas tres Parisienses distare debent, quibus observatis vulne-

ris latera brevioribus filis arctius connectuntur et dislocatio ad latus tendens prohibetur; longiora fila, maiorem substantiae vim amplectentia unionem reddunt validiorem, quod, cum molle palatum solidis careat locis, maximi momenti est. Circiter tertium vel quartum diem, si fila inscindunt, breviora uno vel duobus diebus prius longioribus forcipe arripi et forfice adunca persecari possunt, quia reunionem non modo non adiuvant, verum etiam facile suppuratione ei damnum et perniciem afferunt. Caeterum hic alligandi modus non modo hoc in casu commendandus esse videtur, sed etiam dignus, quem in omni tali reunionem semper laudemus.

### De nodorum colligandorum instrumento apto.

19. Ad nodos in profundo ore commode connectendos instrumento fig 2. et 3. depicto utor. E lamina convexa, sex lineas longa, duas lata constat, quae in utroque latere incisuris extrinsecus angustis, ne filum delabatur, intrinsecus vero amplis fili extrema excipit. Manubrium quatuor pollices longum annulo lato, in quem pollex manus dextrae inseritur, praefixus est.

### De nodis colligandis.

20. Postquam nodus chirurgicus connexus manibusque, quantum fieri potuerit, intentus est, hoc ore sat aperto digitisque gracilibus confectum, saepe sufficiet, et nihil aliud, quam ut nodus secundus eodem modo nectatur, restabit. Ubi hoc autem non tam facile peragitur, instrumentum illud, quo etiam ad de-

ligandas arterias profundiores uti possumus, adhibemus, et nodo secundo nexu filum haud procul ab eo abscindimus, ne mucus maiori vi et copia prorumpat.

## De variis vulneribus, quae palato ad cogendam fissuram inferimus.

21, Ad maiora venio. Nunquam quidem palatum molle fissum iungi videmus, nisi sutura margines concatenentur, attamen maioris hac in re ponderis est modus, quo epidermis a lateribus solvatur. Tres paulo ante descriptae methodi, quas unusquisque chirurgus rationalis ad suam voluntatem et usum facile accommodare et persequi potest, hos nodos probo labore expediri posse, sufficienter demonstrant; — sauciatio vero marginum, sustentatio illius, qui ad coniunctionem efficiendam necessarius est inflammationis adhaesivae gradus, atque omnino tota praecedens sequensque cura medicum et chirurgum quam peritissimum et maxime assiduum desiderat, alioquin enim omnis labor vanus et irritus erit. Fortuito et cito accedentia non praesagienda sunt, quavis fere hora alius inflammationis et morbi gradus adest, vehementissimo etiam ad restituendam sanitatem in naturam impetu utimur.

Hic est scopulus, in quo omnes huc usque curandi conatus naufragium passi sunt, et si sequenti oratiuncula, quae mox maiori ambitu publici iuris facienda est, in hocce mari scopuloso pharum quasi extruere mihi contingeret, impense laetarer et ad iteratum ac indefessum studium in hac re gravissima ponendum vel maxime excitatum me sentirem.

## De veli penduli incisione.

22. Incisio in palati partibus facienda tantum abest, ut illum inflammationis gradum, qui ad procreandam lympham plasticam requiritur, adducat, ut potius levem tantum rubedinem afferat, praecipue si culter acutus perita cautaque manu trahitur. Igitur incisione ill. Graefe ad marginem tantum applanandum utitur. Incisa membrana pulposa palati temperiei convenientis, forsitan etiam salivae et organi laesi naturae ipsius gratia citissime consanatur, et saepe rubedinem ne suppuratio quidem sequitur; immo vero his partibus vehementi inflammatione affectis incisiones profundae ita conveniunt, ut inflammatio, etiamsi minima sanguinis copia effluat, cito evanescat, ita ut angina maligna, quod ipse pluries expertus sum, hoc modo sanetur. Secundum incisionis incommodum est, quod semper aliquid substantiae de margine exsecatur, quod licet minimum sit, non negligendum tamen est, quia alioquin saepe hoc vitium ex parte illa deficiente apparet. — Tandem membranam mucosam, qua talem, quae pro lymphâ plastica mucum profert coituram esse, valde dubito, nisi antea eius naturam immutaverimus aut plane diversam reddiderimus.

## De agentibus chemicis.

23. Quatenus ad cogendam membranam mucosam medicaminibus chemicis epidermidem solvere valeamus, ex sequentibus liquebit. Ill. Gräfe (l. l. §. 17-18.) lapidem

causticum chirurgorum, acidum sulph. concentr. et acid. muriat. concentr.,<sup>41</sup> ut epidermis solveretur, adhibuit. „Lapidis caustici usu,“ inquit, „secretio mucī paululum tantum diminuebatur, — fissura dilatabatur, — membrana mucosa ita immutabatur, ut ad coeundi dispositionem ne minime quidem inclinaret, — crustae luteolae ortae circiter quartum ad septimum diem recedebant.“

24. Rebus sic se habentibus ad cogendam fissuram nihil prorsus ex lapidis caustici usu nobis expectandum esse ex dictis ipsis patet; ut etiam hoc casu kali causticum siccum pervile existimem cauterium, rationibus hisce permoveor: si adhibetur, quam fortissime et profunde partes penetrat, fibrā organicā destruit, vitam partium exstinguit, et locis afflictis sphacelum inevitabili modo affert, quo recedente optima apparet granulatio. Si hunc excitare volumus effectum v. g. ad pontes carnosos corrodendos etc. optimum certe nulloque alio supplendum est causticum, nec igni cedit; — hic vero propter amissam substantiam fissura etiam magis hiat, — propter vitam depressam et sublatam crusta quidem nec vero inflammatio coeundo idonea, suppuratio autem marginum completa, optimis papillis stipata oritur.

25. Feliciorē eventum ex acidorum concentratorum paulo ante dictorum usu speramus. „Fissurae latera,“ inquit ill. Gräfe l. l., „propius accedunt, torosiora, rubriora, densiora ac validiora redduntur; — mucī secretio non augetur; — velo pendulo aliam naturam (corii scil.) imponere videntur. — Quotidie totus fissurae margo semel acido sulphurico concentrato

obducitur, donec crustae luteolae ubique appareant; — post partium deletarum solutionem vulnus quotidie acido muriatico concentrato, quo membrana mucosa adhuc magis immutari dicitur, illinitur. Ad septimum vel decimum diem crustae decedunt, vulnus papillas faciemque descriptam exhibet, et nunc demum reunio tentanda est.“

26. Si hanc rem, uti se habet non leviter tractamus, sed diligentius lustramus, in hanc statim incidimus quaestionem: utrum partium externarum vulnus, cuius latera suppurantia eandem ac illud, quod modo descripsi vulnus, faciem prae se ferunt, sola prima intentione sanare studeamus? (— cum tamen alias e. g. tertio die post factam labii leporini operationem casu adverso supervenienti deligatio nova imponenda sit, et vulnus papillis pulcherrimis conspicuum, antea descripto simillimum inveniatur; —) an alia quoque remedia v. g. novam vulnerationem, scarificationem et alia, quorum usus a re non alienus est, in auxilium vocemus, et antea adhibere malimus? Certo sine dubio. Prima intentio in utroque vulnere salva esse, singulae papillae convenienter se attingere et coire possunt; — sed num certo hoc supponi, et haec coniunctio absoluta et stabilis haberi potuerit, quaeritur; attamen in labio leporino potius, quam palato molli sanando salubrem se praestiterit, in eo enim, quod difficilius coit, cogendo multis aliis remediis ad coniunctionem efficiendam aptis caremus.

27. Ut autem optima quaevis de prospero huiusce operationis successu sperare et augurari possimus, haec

imprimis sunt spectanda, et summa in iis efficiendis cura ponenda:

1) natura membranae mucosae integra fere immutanda eiusque functio, quatales, si fieri possit, plane tollenda est; —

2) epidermis ita solvenda, ut eodem, quo recedit, tempore suppuratio ne superveniat; —

3) proximus accessus intimusque vulneris laterum contactus per tempus ad coeundum necessarium non est impediendus; —

4) Conveniens inflammationis adhaesivae gradus sequelarum cura fovendus est.

### De primae indicationis ratione.

28. Si vitium hocce primae formationis tantum in velo pendulo praeter naturam fisso constat, nec ullus substantiae defectus quoad intensitatem et extensitatem adest, neque antea cachexiae aliive morbi intercurrentes nobis sanandi sunt, acribus medicaminibus in ea palati mollis, quae fissuram spectat, parte inflammationem levem diutius minusve diu, ut res possunt, protractam ( — ad summum forsitan nonnullis intermissionibus interpositis dies 21 — ) excitamus. Quotidie semel vel bis palato tincturam cantharidum capsici annui, euphorbii, piperis cayennensis, aetherem sulphuricum, muriaticum aliave penicillo inducimus. Cum vero fieri non possit, ut diversum, quem in diversos homines exercent, effectum a priori definiamus, hoc tantum in universum dici potest, ea, si fortius agant, vel diluenda vel rarius adhibenda esse, — quodsi vero non sufficere videantur saepius

illis acribus vel acido muriatico vel sulphurico semper tamen ea utemur cautione adhibita, ut ne crustae, quae semper vehementioris in materiam impetus huiusque materiae defectus suspicionem excitant, exoriantur. Optimum fere remedium est argentum nitricum fusum purum, quo una cum reliquis utimur; usus ipse factu facilis atque effectus hic plane conveniens est, — nec ullum medicamen organicae crystallisationi (sit venia verbo barbaro) hoc magis favet, papillas — et siquidem ullo remedio hoc effici potuerit, — materiem organicam excitat. Aegrotum, cui a causa syphilitica palatum unguis ambitu perrosum fuit, multis aliis medicaminibus obturatoribusque per longum tempus frustra tractatum, mox convalescere vidi, cum lapis infernalis adhiberetur. Quum postea saepe eundem huiusce remedii effectum in iisdem malis observaverim, suspicio spesque certa mihi est exorta id fissuram materia procreanda coarctare; — in superficie humida mediocriter adhibitum nunquam crustas elicit, cuticula alba paulo post tinctura aloës et aliis facili negotio abluitur, et nisi suppuratio adfuerit, talis vulneris latera ad coeundum idonea apparent.

29. Si naturam membranae mucosae immutatam, eiusque functionem sublatam, multa vasa arteriosa inflammatione diu protracta exorta et quae iam aderant, dilatata esse, ita ut massa contactusque puncta aucta sint, cognoscimus, — si ductus excretorii glandularum mucosarum et eae ipsae concrecendo conglutinatae sunt, apta cura suppurantibus, quae in margine iungendo ortae sunt, partibus medemur, ita ut

inflammatio vicinarum partium non evanescat, et ad perficiendam secundam transimus indicationem.

### Quomodo epidermis solvatur.

30. Aptissimo modo exper. Ebel tincturae cantharidum fortissimae applicatione pluries repetita epidermidem ubique solvit, et sutura secundum methodum suam minime vituperandam facili opera confecta laterum vulneris reunionem certo adduxisset, si antea primae indicationi satisfacisset, et inflammationem, quae in ore mox evanescebat aluisset. [Etiam lapide infernali interdum nobis utendum esse, supra iam monui, et pluries brevibus tantum intervallis interiectis et ubique adhibeatur, ut completa fiat et congrua totius fissurae excoriatio et praeterlapsis duodecim vel quindecim horis cuticula alba ablata reunio perficiatur, necesse est. — Tandem ad solvendam epidermidem ferramenti candentis usus neutiquam contemnendus est, perita manu adhibitum forsitan optimum est medicamen. Conveniens ferramentum supra lampadem flamma spiritus, vel in prunis candentibus, vel, ut caloris gradum thermometro metiamur, in oleo ferventi ita calefiat, necesse est, ut usu 82 gradus R. adaequet, quo epidermis pustularum forma elevatur, et apta inflammatio provocatur. Hunc caloris gradum non egredi nos oportet, quia alias crustae earumque noxa materiae defectus et suppuratio sequerentur. Scarrificationes leves in quovis epidermidem solvendi modo exsudandae lymphae coagula-

bili magnopere succurrunt. (Scarrificationis descriptionem in aliud differro tempus).

### De indicatione tertia.

31. Tertiae indicationi satisfacimus ipsa sutura imponenda, eique conservandae consulimus omnibus, quae damnum ei afferre possent, removendis e. g. sternutatione, tussi, oscitatione, singultu, inspirationibus atque expirationibus violentioribus etc. quiete aegroto imponenda, luminis denique solis et frigoris iniuria sedulo ab eo arcenda.

### De indicatione quarta.

32. Quartam hancce indicationem ill. Gräfe l. l. §. 25 et seq. penitus exposuit, omnia fere, quae de ea monenda essent exhaustiens, ita ut nihil iam mihi addendum sit, nisi me secretionem muci iusto maiorem rescissis fili extremis et deglutitionem difficilem non vidisse. Si inflammatio minuitur, et ligaturae non arcte cohaerere videntur, remediis antea dictis novum irritamentum addendum et intumescencia elicienda est, quam praecipue calor eminus per radios efficiens et ex ferro candenti profluens provocat.

---

---

## Explicatio tabulae.

---

**Fig. I.** Acus, qua ad suturam perficiendam  
utor.

a. internum foraminis os, in quo filum extrahendum arripi debet.

b. manubrium.

**Fig. II.** Instrumentum nodis nectendis inserviens.

b. incisura filo recipiendo apta.

c. annulus, in quem pollex inseritur.

d. bacillum laminam cum annulo coniungens.

**Fig. III.** Facies laminae superior, in qua incisurarum indoles, pro qua nempe intrinsecus latiores, extrinsecus vero angustiores sunt, accuratius apparet.

**Fig. IV.** Externa acus facies.

a. externum foraminis os, a quo sulcus, cui filum immittitur, sursum tendit.

Reliqua instrumentorum indoles et forma ex ipsis figuris satis cognoscitur.

---

## Explicatio tabularum

Fig. I. Aeneas, quae ad utrumque pertinet

a. internam latitudinem os, in quo non exten-

ditur, dum antea deditur, sed postea

b. manubrium, c. annulus, d. baculum

Fig. II. Instrumentum, quod necessarium

a. internam latitudinem os, in quo non exten-

b. manubrium, c. annulus, d. baculum

Fig. III. Facies laminae superioris, in qua

a. internam latitudinem os, in quo non exten-

b. manubrium, c. annulus, d. baculum

Fig. IV. Facies laminae inferioris, in qua

a. internam latitudinem os, in quo non exten-

b. manubrium, c. annulus, d. baculum

4.




Fig. 3.




Fig. 1.




Fig. 2.

